

Theses utriusque juris.

Numéro d'inventaire : 1979.35017

Auteur(s) : D. Joseph de Fleury

Type de document : affiche

Éditeur : non renseigné (Nancy)

Imprimeur : Bachot

Période de création : 4e quart 18e siècle

Date de création : 1780

Description : Une feuille de papier vergé filigrané. texte imprimé. La feuille présente d'importantes dégradations, notamment sur le bord droit. Des déchirures ont été réparées et la colle a taché le papier. Une réparation au centre. Taches sur le bord gauche.

Mesures : hauteur : 403 mm ; largeur : 310 mm

Notes : Affiche annonçant les thèses de droit civil et de droit canon que doit soutenir, pour l'obtention de la licence, Joseph de Fleury à la faculté de droit de Nancy le mardi 8 août 1780. Les thèses de droit civil traitent des mariages. Les thèses de droit canon portent sur les divorces.

Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics

Filière : Université

Niveau : Supérieur

Autres descriptions : Langue : Français

Nombre de pages : 1

DEO OPT. MAX. THESES UTRIUSQUE JURIS CANONICI CIVILIS

*Ex Capitulo septimo x. de
Divortiis.*

I.

MATRIMONIUM inter fideles ritè contractum verum esse *novæ legis sacramentum*, dogma catholicum est: ejusdemque matrimonii consummati vinculum morte tantum naturali alterutius conjugis dirimitur.

II.

AT causa religioſe professionis in matrimonio rato ad vinculi dissolutionem admittitur, quia illud jus exemplis Sanctorum ſtabilitur: deſunt verò vel ſimilia Sanctorum exempla in ſuſceptione SS. Ordinum, unde nec illis ea prærogativa eſt diſſolvendi matrimonii rati.

III.

VINCULUM conjugale etiam *extra Sacramentum*, adeoque inter infideles contractum perpetuum eſſe probant varii ſcripturæ textus, ipſi SS. Canonēs ad juſ divinum id referunt, & noviffimè Trid. inquiens, *matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque nexum, primus humani generis parens Divini Spiritus inſtituendo pronuntiavit.*

IV.

AN ex jure ipſo naturali indiſſolubilitas matrimonii procedat, definitu longè eſt difficilius. Pluribus perſuaſum eſt id ſaltem ex jure naturali, ut vocant *conſo* ac *ſecondario* haberi, id eſt magnam ex dictamine naturæ apparere convenientiam, ut matrimonium conſtanter duret.

V.

INDE publicæ leges divortii quales & quantæ fuerint, ſpectabant *juſ fori*, partes enim eas in *foro poli* reputabant eſſe illegitimas. Chriſtus ipſe perpetuam indiſſolubilitatem vinculi ex primævâ inſtitutione feliciter reſuſcitavit Matth. c. 5. & 19.

VI.

FAVORI fidei tamen datum, quod converſus infidelem conjugem quæ ei cohabitare, aut omnino non vult, aut non ſine contumeliâ fidei, eam abjicere poſſit, & poſtquam obſtinatum animum declaravit, novum poſſit inire matrimonium.

*Ex Lege 12. Codice, de
Nuptiis.*

I.

LEGE primâ ff. de ritu nuptiarum definiuntur nuptiæ, *conjunctio maris & femine, conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio.* . . . apud Juſtinianum ſunt, *viri & mulieris conjunctio individuum vitæ conſuetudinem continens.*

II.

IN perſonis, quæ matrimonium contrahunt, ut juſtæ ſint nuptiæ, tria requiruntur, *civitas, pubertas, & ut ii ſint*, quibus nec omnino, nec invicem nuptiæ ſint interdictæ.

III.

FORMA contrahendarum nuptiarum inter perſonas non prohibitas conſiſtit in conſenſu, maximè autem conſenſus contrahentium requiritur ad ſubſtantiam nuptiarum juxta R. J. *conſenſus nuptias facit*, intellige *legitimè præſtitus.*

IV.

PRÆTER conſenſum contrahentium requiritur etiam conſenſus parentum in quorum poteſtate ſunt contrahentes. Ratio duplex eſt. 1. *Patria poteſtas* quod eſt dominium quiritarium vi cujus liberi ſunt res patris; altera *ne patri invito ſuus heres agnaſcatur.*

V.

EX hac poſteriore ratione, masculis cùm nuptias contrahunt hoc proprium eſt, quod non ſolum ejus in cujus poteſtate ſunt conſenſum expectare debeant; ſed etiam ejus in cujus poteſtate ſunt recalari. . . . cæterum ex certis cauſis remittitur conſenſus illius neceſſitas.

VI.

EXTRA hæſ cauſas ſi filius familias neglecto patris conſenſu matrimonium contraxerit, neque *vir*, neque *uxor*, neque *nuptia*, neque *dos* intelliguntur, adeoque nec liberi ex iſto coitu nati in poteſtate ſunt.

Has Theſes, Deo duce & aſpice Dei-Parâ, propugnabit D. JOSEPHUS DE FLEURY ex Lichecourt, Diœceſis San-Deodatenſis.

Præſide Conſultiffimo Viro Domino ELIA ANDREA SCHOULLER, in U. J. Doctore & Anteceſſore Nanceiano, die Martis 8 Auguſti, horâ ſeſqui-ſeptimâ matutinâ, anno à partu Virginis 1780.

PRO LICENTIATU IN UTROQUE JURE
IN JURIS ACADEMIA NANCEIANA.

Superiorum permiſſu: NANCEII, apud SEBASTIANUM BACHOT, Regis & Univerſitatis Typographum Bibliopolamque Juratum.